Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 171

Quelle:
Copyright:

ſum motus eſt: *Ineffabilem clementiam tuam domine deprecor. ut per unigeniti tui paſſionem ſanctiſſimam penitentia. et flagellis tuis me emendatum in numerum tibi placentium cum hoſtiis uirtutum quandoque tranſire concedas. qui in trinitate. et unitate perfecta in ſecula regnas amen. Uualafridi expoſitio in Numerum explicit.* Aeque ignota ac illa in *Exodum.*

V. *fol.* 179. p. 2. *In Dei Nomine Incipit Expoſitio Remii In Deuteronomium.* Quis hic *Remius? Remigius*ne *Antiſſiodorenſis*, cujus nomine *Commentarium in Geneſin*, quem ſupra vidimus, publicavit *Pezius?* Narrat hic in *Diſſert. Iſag.* ad T. IV. p. 1. in eodum *Cod. Tegernſeenſi* et *Garſtenſi*, e quibus *Commentarium* illum depromſit, item in tertio *Paumgartenbergenſi* haberi ſub *Remigii* nomine *Commentarium in Pentateuchum* hoc initio: *Deuteronomium lex ſecunda dicitur.* Quod idem eſt initium noſtri praeſentis Tractatus. At praeterquam, quod Librum *ſolum* Deuteronomii adpellare *Pentateuchum* magnam Scriptoris arguat inſcitiam, addit ipſemet Vir Cl. ſe poſtea deprehendiſſe *Commentarium* illum non *Remigii*, ſed *Rabani* eſſe, interque hujus excuſa Opuſcula proſtare. Quo loco utinam illi placuiſſet editionem ipſam deſignare! *Commentarius* enim *Rabani in Deuteron.* qui in edit. *Colon.* T. II. p. 408. legitur, nihil commune cum noſtro praeſenti habet. *Anonymus* praeterea *Mellic.* nihil de *Remigii* aliqua in *Deuteronomium* Expoſitione, et quanquam *Sixtus Sen. Bibl.* L. IV. p. 318. dicat, eum in omnes *Moyſis* libros commentatum, facile tamen falſa cujusdam *Codicis* inſcriptione decipi potuit, ut etiam Autores *Hiſt. Liter. Franciae* T. VI. p. 104. cenſent. Cum itaque nihil ſit, quod *Commentarium* noſtrum vel *Remigio*, vel etiam *Rabano* ſolide adſerat, vehementer inclinor, ut ejusdem eſſe dicam, cujus ſunt praecedentia, *Walafridi* ſcilicet *Strabi*, idque cum propter tractandi methodum et ſtilum, qui idem eſt ac praecedentium, tum, quod in *Monaſtico Anglic.* T. III. p. 363. Catalogus Bibliothecae Eccleſiae cathedralis *Londin.* anno 1458. concinnatus memoretur, in quo poſt *Gloſſam* Noſtri in Biblia ſpeciatim adducitur *Strabus Gallus ſuper Deuteronomium.* Επιθετον *Galli* inde ortum videtur, quod e quorundam ſententia in S. *Galli* Coenobio educatus, ibidemque etiam *Decani* munere functus ſit, licet ſint, qui utrumque controvertant. Vide ſaepe *cit. Hiſt. literar. Franciae* T. V. p. 59. et *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XXI. p. 310. Initium porro, ut jam coepi dicere, *Commentarii* noſtri eſt: *Deuteronomium dicitur lex ſecunda. Haec fuit cauſa ſcribendi hunc librum. ut ea quę facta uel dicta fuerant breuiter collecta arcius in memoria populi tenerentur* &c. Pauca, et fortaſſe nec integrum folium, in fine deſunt; adhaeret enim in expoſitione C. *ult.* v. 7. his verbis: *hic autem numerus CXX. eos ſignificat qui uel in*

uetere